

IN OBITVM C. V. ET EXIMII

THEOLOGI D. T. BEZÆ VEZELII AD-  
cis Reip. Geneuensis Elegia.

**D**efinite. ô ciues Bezam lugere beatum,  
Quis neget alterius commoda flere nefas?  
Definite: & vestros leti compefcite fletus,  
Sic Superi pofcunt iuffa verenda poli.  
Quid lachrymæ tantusque iuuat dolor? Ecce perennis  
Bezæ vita manet, laude perennat honos.  
Magna viri monumenta manent difperfa per orbem,  
Ingeni que pij vis manifefta manet.  
Nulli fas homini tantas contexere laudes,  
Quas hic commeruit Numinis auxilio.  
Ad vera pietatis opus componere menteis  
Inftituit puris fontibus è Domini.  
Ciuihus effundit viuus pia iura falutis,  
Ad Dominum vadant quò meliore via.  
Admonet humanis ne fit fiducia rebus,  
Et deitas quo fit concilianda modo.  
Durat opus facrum diuino lacte Gebennis  
Nutristi populos dum, Theodore, pios.  
Hanc urbem æterno iunxifti fædere Chrifto,  
Hoc opus, hæc laus eft, non moritura tibi.  
Pars mundi tibi nulla vacat: fed tota tenentur  
Laudibus, & meritis terra, falumque tuis.  
Si tibi dent, animo non impar, iuffa fe pulchrum,  
Angufta eft tumulo tota Geneua tuo.  
Parte etenim meliore tui fuper æthera viuus:  
Scripta manent fama; pignora certa bonæ.  
Si cui fama fuit per auita trophæa decori,  
Huic laus eft libris undique fulta fuis.  
Viuut & in cælis, inter præclara virorum  
Agmina calicolum, peruigil ante Deum.  
Ergo tuo populos exemplo haud flere doceto;  
Attamen hæc memori mente Geneua notans.

**V**ixit Beza diu: nec viuere definet unquam:  
Quid gemis extinctum turba beata virum?  
Ecquid enim cælo genitum, caloque receptum  
Tot viuum fcriptis interiiffe putas?  
Qui velit ex meritis Bezæ componere laudes,  
Huic opus eft Bezæ carmine, & ingenio.

Geneua composui  
mense Martio  
Anni 1606.

Robertus Oliphantus à Bachilton  
N. Scoto-britannus.

